



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecumenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Saluus conductus concessus Germanic[a]e nationi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

publicam in Congregatione generali conceat
posse, & eandem vim habituram, eiusdemque
reboris & momenti futuram, ac si in publica
Sessione data, & decreta fuisset.

Indictio futuræ Sessionis.

Eadem sacrosancta Tridentina Synodus, in
Spiritu sancto legitimè congregata, presiden-
tibus in ea eisdem Apostolica Sedis Legatis,
Statuit, & decernit, proximam futuram Ses-
sionem habendam & celebrandam esse feria
quinta, post sacratissimum festum Ascensionis
Domini, que erit die 13. Mensis Maij.

**SALVVS CONDVCTVS
CONCESSVS GERMA-
nicæ nationi.**

In Congregatione generali, die IV. Mar-
tij, M. D. LXII.

SACROSANCTA œcumenica, & generalis
Tridentina Synodus, in Spiritu san-
cto legitimè congregata, præsentibus
in ea eisdem sanctæ Sedis Apostolica
Legatis, Vniuersis fidem facit, quod o-
mnibus & singulis Sacerdotibus, Ele-
ctoribus, Principibus, Ducibus, Mar-
chionibus, Comitibus, Baronibus, No-
bilibus, militaribus, popularibus, & alijs
quibuscunque viris, cuiuscunque sta-
tus,

us, & conditionis, aut qualitatis existant, Germanicæ provinciae, & nationis, ciuitatibus ac alijs locis, eiusdem, & omnibus alijs ecclesiasticis & sæcularibus, præsertim Augustanæ Confessionis, personis, qui, aut quæ vnà cum ipsis ad hoc generale Tridentinum Concilium venient, aut mittentur, ac profecti sunt, aut hucusque venerunt, quocumque nomine censeantur, aut valeant nūcupati, tenore præsentium publicam fidem, & plenissimam, verissimamque securitatem; quam saluum conductum appellant, liberè ad hanc ciuitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, vnà cum ipsa Synodo de quibuscumque negotijs tractandi, examinandi, discutiendi; & omnia, quæcunque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet, tam scripto, quam verbo, liberè offerrendi, propalandi, eosque Scripturis sacris, & bonorum Patrum verbis, sententijs, & rationibus declarandi, astruendi & persuadendi, & si opus fuerit, etiam ad obiecta Concilij generalis respondendi, & cum ijs, qui à Concilio delecti fuerint, disputandi, aut caritatiuè absque omni impedimento conferendi, opprobrijs, conuicijs, ac contumelijs penitus semotis: & signan-

ter, quod causæ controuersæ secundum sacram scripturam, & Apostolorum traditiones, probata Concilia, Catholicæ Ecclesiæ consensum, & sanctorum Patrum auctoritates in prædicto Concilio Tridentino tractentur; illo etiam addito, ut religionis prætextu, aut delictorum circa eam commissorum, aut committendorum, minimè puniantur, impertitur, ac omninò concedit; sic etiam, ut propter illorum præsentiam neque in itinere, aut quocumque locorum eundo, manendo, aut redeundo, nec in ipsa ciuitate Tridentina à diuinis officiis quouis modo cessetur. Et ut, his peractis, vel non peractis, quocumque; ipsis libuerit; aut maiorum suorum mandato, & assensu ad propria reuerti optabunt; aut aliquis eorum optabit; mox absque ulla renitentia, & occasione, aut mora, saluis rebus eorum, & suorum pariter honore, & personis, vice versa, possint iuxta beneplacitum liberè, & securè redire; de scientia tamen ab eadem Synodo deputandorum; ut tunc opportunè eorum securitati, absque dolo, & fraude prouideatur. Vult etiam sancta Synodus in hac publica fide, saluoque conductu, omnes quascumque clausulas includi, ac contineri, ac pro inclusis haberi,

quæ

quæ pro plena, efficaci, & sufficienti securitate in eundo, stando, & redeundo, necessariæ & opportunæ fuerint. Illud etiam, ad maiorem securitatem, & pacis, ac conciliationis bonum, exprimens, quod, si quispiam, aut illorum aliqui, siue in itinere, Tridendum veniendo, siue ibidem morando, aut redeundo, aliquod enorme; quod absit, egerint, aut commiserint, quo posset huius fidei publicæ, & affecurationis beneficium, eis concessum, annullari, aut cassari, vult, & concedit, vt in huiusmodi facinore deprehensi, ab ipsis dumtaxat, & non ab alijs condigna animaduersione cum emenda sufficienti, per partem ipsius Synodi merito approbanda & laudanda, mox puniantur: illorum affecurationis forma, conditionibus, & modis omninò manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, vt, si quisquam, vel aliquis ex ipsa Synodo, siue in itinere, aut manendo, aut redeundo, aliquod enorme & absit, egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publicæ, & affecurationis beneficiũ violari, aut quoquo modo tolli, in huiusmodi facinore deprehensi, ab ipsa Synodo dumtaxat, & non ab alijs; condigna animaduersione, & emenda sufficienti, per partem Dominorum Germanorum Au-

gustanae Confessionis, tunc hic, praesentium merito laudanda, & approbata, mox puniatur; praesenti assurationis forma, conditionibus, & modis omnino manentibus illibatis. Vult praeterea ipsa Synodus, quod liceat ipsis Ambasciatoribus, omnibus & singulis, toties quotiescumque opportunum fuerit, seu necessarium, ad auram capiendam exire de ciuitate Tridentina, & reuerti ad eandem, nec non nuncios, vel nuncios suos ad quaecunque loca pro suis necessarijs negotijs ordinandis liberè mittere, seu destinare, ac ipsos missos, seu destinatos, seu missum, & destinatum suscipere toties, quoties eis videbitur expedire; ita quod aliqui, vel aliqui per deputandos Concilijificentur, qui eorum securitati provideant, vel provideat. Qui quidem saluus conductus, & securitas stare, ac durare debeat à tempore & per tempus, quo ipsius Synodi, & suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit, & vsque ad Tridentinam perduci, ac toto tempore mansionis eorum ibidem: & rursum post sufficientem audienciam habitam, spatio viginti dierum praemisso, cum ipsi petierint, ut Concilium habita huiusmodi audiencia, ipsis recessum induxerit, à Tri-

den-

dento vsque in quem quisque elegerit si-
 ni locum tutum, Deo fauente, restituet,
 dolo, & fraude prorsus exclusis. Quæ-
 quidem omnia pro vniuersis, & singulis
 Christi fidelibus, pro omnibus Principi-
 bus, tam ecclesiasticis; quam sæcularibus
 quibuscumque, atque omnibus alijs ec-
 clesiasticis, ac sæcularibus personis,
 cuiuscumque status, & conditionis exi-
 tant, aut quocumque nomine censean-
 tur; inuiolabiliter obseruanda esse pro-
 mittit, & bona fide spondet. Insuper o-
 mni fraude & dolo exclusis, vera & bona
 fide promittit, ipsam Synodum nullam
 vel manifestè, vel occultè occasionem
 quaesituram, aut aliqua auctoritate,
 potentia, iure, vel statuto, priuilegio, le-
 gum, vel Canonum, aut quorumcum-
 que Conciliorum; præsertim Constan-
 tiensis, & Senensis, quacumque forme
 verborum expressa, in aliquod huius
 fidei publicæ & plenissimæ asssecuratio-
 nis; ac publicæ, & liberæ audientiæ, ipsis
 per ipsam Synodum concessæ, præiudi-
 cium, quouis modo vsuram aut quem-
 quam vti permissuram: quib. in hac par-
 te pro hac vice derogat. Quod si S. Syno-
 dus, aut aliquis ex ea, vel suis, cuiuscumque
 conditionis, vel status, aut præeminen-
 tiæ, existens, præscriptæ asssecurationis, &

Con, Cō-
 stantien.
 Sess. 19. in
 cap. quod
 nō obstā-
 tibus sal-
 uis con-
 ductibus.

salui conductus formam & modum in quocūque puncto vel clausula violauerit; quod tamen asserere dignetur Omnipotens; & sufficiens emēda non fuerit mox subsecuta, & ipsorum arbitrio meritò approbanda, & laudanda, habeāt ipsam Synodam, & habere poterunt, incidisse in omnes pœnas, quas iure diuino, & humano, aut consuetudine, huiusmodi saluorū cōductum violatores incurrere possunt, absque omni excusatione, aut quauis in hac parte contradictione.

Extentio ad alias nationes.

Eadem sacrosancta Synodus in Spiritu sancto legitimè cōgregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis de latere Legatis omnibus & singulis alijs, qui nobiscum in ijs, quæ sunt fidei, communionem nō habēt, ex quibuscumq; regnis, nationibus, prouincijs, ciuitatibus, ac locis, in quibus publicè, & impunè predicatur, vel docetur, siue creditur cōtrarium eius, quod sancta Romana sentit Ecclesia, dat fidem publicam, siue saluum conductum sub eadem forma, & eisdem verbis, quibus datur Germanis.